

DE PONDERRIBVS

didrachmales erant, xlviij. in Libra fuisse:
hodie uero cum noster Aureus Drachma-
lis sit, uidemus xcvi. in ea appendi, et paulo
plus propter Colybum & auctoramētum
principalis monetæ: alterū est, quod etiam
num reperiunt uetera Nomismata cū hac
✱ Denarii nota, eiusdem ponderis, cuius
Drachma est nostra. Denariū autem idem
quod Drachmam fuisse, supra docuimus:
quod si qui leuiores Denarii reperiantur, id
ex intertrimēto euenit: uel quia aliqui prin-
cipes propter difficultates numarias leuio-
re pondere eos percusserint, quod quan-
doq; factitatū, Plinius eodem loco author
est, cuius uerba prepostere in sermonis con-
textu posita, crucem fixere Grammaticis,
dum eorum intellectum nequeunt assequi:
nos sic intelligendū arbitramur, cum prius
docuisset Denarium decem Asses ualere, &
quatuor Sextertios nūmos in Denario esse,
primo bello Punico imminutum pondus
trahit, & tū percussos fuisse Asses dextanta-
rio pondere, id est, duabus Vnciis minus,
unde & Sextantarii dicti sunt, quia Sextans
illis deesset: ita quinta parte facta lucri, disso-
lutum est æs alienū. Duæ enim Vnciæ quin-
ta pars est Dextantis: nec tamen magno de-
trimento populi affecti sunt, ut Festus scri-
bit, cum